



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Svmmvla Caietani**

**Cajetan, Thomas**

**Antverpiae, 1575**

Quæstio quarta.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-41716**

## Ientaculi secundi

ato, iuxta verba Apostoli.

Tum quia seruatur proprietas sermonis, & nulla interuenit æquiuocatio. Tum quia consonat aliis documentis Apostoli. Tum quia nihil incerti aut noui in Ecclesia Christi per hanc expositionem ponitur.

Et aduerte, quod quia ex modo facti solus ritus baptismi per immersionem repræsentat mortem & resurrectionem, ideo Apostolus quasi particulariter loquitur de facto illorum qui baptizantur in persona mortuorum. Et rursus ideo apposuit coniunctionem, & dicendo, Ut quid & baptizantur, quasi dicit: Ut quid non solum baptizantur: sed baptizantur pro illis: id est, in persona mortuorum? Tanquam dicere: Ut quid tali ritu personam mortuorum & resurgentium assumunt quum baptizantur? Notanter autem dixi ex modo facti, quia ex efficacia sacramenti semper baptismus quomodounque fiat, commori, & consepeliri hominem facit, & resurgere cum Christo in nouitate vitæ.

A D obiecta autem in principio, non est aliter respondendum, nisi quod expositio illa de opinato illo erroeo baptismō, minus consona videtur sensui Apostoli: qui ex facto manifestè arguit, & non ex spe facti. Hæc de tercia quæstione.

C irca quartam quæstionem difficultas occurrit quia non appareat literalis sensus secundum plenum literæ contextum. Non enim appareat ad quod propositum dicantur illa verba: Mediator autem unius non est: Deus autem unus est. Constat namque ibi sermonem fieri de differentia inter legem Mosaiicam, & promissionem factam Abrahæ in Christo. Et quantum appareat, extra propositum, extra contextum interpositum est quod officium mediatoris est inter duos: & similiter quod Deus est unus. Quorum enī hæc hic, quantum in se verissima

ma

## Quæstio quarta.

ma sunt? Hæc est tota quæstionis ratio ac summa.

**A**sulam illam in manu mediatoris, ad legem Moysicam de qua est sermo: soluitur facile quæstio. Ad cuius clariorem & plenioriem intelligentiam colligenda antedicta summarie sunt. Posuit ibi Apostolus ex una parte Abrahæ promissionem (quam etiam testamentum à Deo confirmatum vocat) & ex altera parte Moysi legem. Et ex parte Abrahæ posuit quinque, scilicet fidem, benedictionem, vitam, hæreditatem, & iustitiam. Ex parte verò legis contra posuit quoque quinque: scilicet opera legis, maledictionem, viuere in operibus legis, transgressionem, & peccatum. Et demum concludit legem fuisse in custodiam & paedagogum ad fidem Iesu Christi: in quo omnes homines vniuntur per fidem, & fidei sacramentum baptismi. Quum igitur ex parte promissionis Abrahæ tot diuina bona posuisset Apostolus, & ita appropriasset Abrahæ ut negasset illa à lege: quæstionem interposuit. Quid igitur lex? Et statim responderet, propter transgressionem posita est, donec veniret semen cui promiserat, ordinata per Angelos in manu mediatoris. Vbi quatuor conditiones legis manifestat. Prima est, quod propter malum posita est, hoc est, lex non est posita ut faciat bonos & iustos: sed ut puniat malum. Et hoc significant illa verba, Propter transgressionem posita est. Quum enim duæ sint partes iustitiae: scilicet declinare à malo, & facere bonum: lex scripta in hoc differt à fide Abrahæ, quod lex ad malum potestatem habet: culpæ quidem puniendum: poenæ verò infligendum. Fides verò efficit bonum: quia ex fide viuitur vita iustitiae & dilectionis, &c. At si contra hoc obiciatur, non esse deterioris conditionis legem Moysi legibus humanis: quas constat posita esse non solum propter

trans-

## Tentaculi secundi

transgressionem arcendam & puniendam, sed etiam  
propter bonum virtutis. Nam ad hoc ordinantur le-  
ges, ut siant homines virtuosí, ut patet ii. & v. Ethico.  
Maximè ergo lex per Moyſen à Deo data ordinatur  
ad reddendos homines virtuosos. Et confirmatur;  
quia legis præcepta sunt non solùm de declinando  
à malo (puta, Non occides : Non mœchaberis, Non  
adorabis Deos alienos, &c.) sed etiam de faciendo  
bonum:puta, diliges Dominum Deum tuum ex toto  
corde tuo, &c. Honora patrem tuum. Ad hoc dicitur,  
quòd aliud est loqui de fine legis, aliud est de effectu  
legis. Nam finis legis ad intentionem spectat: effectus  
vero ad potestatem & efficaciam legis. Si de fine est  
sermo, finis legis est bonum virtutis: ad quod intendit  
per præcepta, &c. ducere. Sed nulla lex scripta habet  
hanc potestatem, hancque efficaciam ut efficiat ali-  
quem bonum: præcipere siquidem potest bonum, sed  
non facere. Sed respectu transgressionis seu mali ha-  
bet lex potestatem & efficaciam puniendi. Punit enim  
malos, & puniendos arcet consequenter, ut experien-  
tia testatur. Apostolus autem non de fine, sed de ef-  
fectu legis & fidei loquitur: & docet quòd fides Abra-  
hæ facit hominem iustum ac viuum, &c. lex autem  
non potest iustificare, aut viuiscare aliquem, sed po-  
test punire. Et ideo propter transgressionem, tāquam  
materiam proprii effectus qui est punitio, posita est,  
& non propter iustitiam seu vitam, in quam nō po-  
test vires suas exercere, nisi pro quanto dilabuntur in  
malorum ordinem in suis omissionibus. Lex enim  
præcipiens religionis seu pietatis opera, non potest  
efficere in subditis religionis aut pietatis officium: ex-  
ercet vires suas puniendo: ut lapidatus est qui nō san-  
ctificauit sabbatum, &c. Secunda est, quòd est tem-  
poralis, scilicet ad Christum. Et hoc significant sub-  
iuncta verba, donec veniret semen cui proniserat: ira  
quod

## Quæstio quarta.

quod hinc habes quod lex Moysi non est perpetua,  
sed temporalis. Nec obstat quod plures dicitur in le-  
ge Moysi, Legitimum sempernun erit, aut aliquid  
simile: quoniam huiusmodi sempiternitas accipitur  
pro duratione coæua populo Iudeorum. Et est  
sensus, quod est sempiternum secundum perpetuita-  
tem populi scilicet usque ad Messiam: qui pater fu-  
turi seculi prædictus est, unum populum ex omnibus  
facturus nouo nomine Christianū: & iuxta verbum  
Esaiæ, Et vocabitur tibi nomen nouum, quod os Do-  
mini nominauit. Scito tamen quod lex cum suis pre-  
ceptis potest dici perpetua quantum est ex parte au-  
toritatis humanæ, pro quanto posita est non revo-  
cabilis, nisi per ipsum Deum verum. Et dicitur tem-  
poralis, pro quanto Deus verus caro factus adimple-  
vit illam: & sic consummavit, non consumpsit illam:  
iuxta illud, Non veni soluere legem, sed adimplere, ita  
quod finiunt legem non consummando ut cibus fini-  
tur, sed perficiendo: ut officium ducis exercitus finitur  
parta victoria: iuxta aliud verbum Domini in cruce:  
Consummatum est. Tertia conditio est, quod lex est  
ex coelesti auctoritate posita: utpote ordinata per  
Angelos. Quod etiam Stephanus protomartyr prius  
dixerat, Actuum septimo: Accepistis (inquit ad Iu-  
deos) legem in dispositione angelorum. Decuit ut in-  
ter tot quasi ignobiles conditiones quas de lege refe-  
rebat Apostolus interponeret aliquam nobilem &  
gloriosam scilicet quod ordinata fuit per angelos: in  
quo omnes humanas leges excellit: & auctoritatem  
divinam habere monstratur. Potest nihilominus  
ultra commendationem legis haec particula ad secun-  
dam conditionem pertinere: ut scilicet significetur a  
quibus & ad quos lex erat usque ad semem promissum:  
intendens quod ordinata erat per Angelos tempora-  
lis: scilicet donec veniret semen. Ac si aperte diceret:

Lxx

sed etiam  
manus le.  
v. Ethico.  
ordinatur  
affirmatur:  
reclinando  
eris. Non  
faciendo  
n ex toto  
c dicitur,  
de effectu  
effectus  
le fine est  
intendit  
pta habet  
ficiat ali-  
num, sed  
mali ha-  
nit enim  
experien-  
ed de ef-  
es Abra-  
ex autem  
n, sed po-  
, tamquam  
posita est,  
nō po-  
untur in  
ex enim  
n potest  
ium: ex-  
nō san-  
est tem-  
ant sub-  
erat: ita  
quod

## Ientaculi secundi

Lex est temporalis secundum quod est ordinata per Angelos, qui cognoscebat huiusmodi temporalitatem: quamvis secundum quod est accepta hominibus, videatur sempiterna.

Quarta conditio est quod est mediatrix: & hoc significant verba illa, In manu mediatoris: hoc est in opere dimidiatoris. Et intendit quod lex fuit dimidiatoria: pro quanto fuit data non toti generi humano, sed vni parti, scilicet filiis Israël: & distinctiva fuit illius populi à reliquo mundo. Vnde etiam in vestibus signa distinctiva ab aliis mandauit lex. Et quod hic sit sensus literalis, apparet ex eo quod huic sensui omnia sequentia consonant: ita ut currant absque cœspiratione aliqua: vt patet in sequentibus. Habuit ergo lex hanc conditionem quod fuit dimidiatio generis humani, quo contra fides Abrahæ, semen eius Christum unitatē mundi facit. Vnde statim Apostolus subiungit, quod postquam reuelata est fides Christi, non est Iudæus neque Græcus &c. sed omnes sumus vnum in Christo. vt per hoc intelligas quod cessauit dimidiatio legis, vbi venit unitas Christi. Vnde statim ex hac legis conditione Apostolus materiam obiectionis assumit, dicens: Mediator autem vnius non est: Deus autem vnuis est. Non dixit, Mediator duorum aut plurium est: quoniam non loquitur de officio mediandi, hoc est coiungendi vel concordandi duos vel plures: sed dixit negatiuam: scilicet vnius non est, quia dimidiare non est facere vnum, sed scindere vnum. Et per oppositum Deus est vnuis in sua promissione: quia vni semini promisit benedictionem omnium gentium. Præmisserat enim quod Abrahæ dictæ sunt promissiones, & semini eius. non dicit, & seminibus quasi in multis: sed quasi in uno: & semini tuo qui erit Christus. Ad huius quippe unitatis promissionem, per quam constituitur totus mun-

dus

## Quæstio quarta.

dus in unitate, spectat quod dicitur, Deus autem unitus est, in sua promissione. Ita quod ex hac legis conditione quod est dimidiatoria generis humani, nascitur statim quæstio, assumpta propositione universalis quod dimidiator ut sic non est factius unius & est in regione contraposito quod Deus est unus in sua promissione. Nam hinc statim infertur, Lex ergo aduersus missa Dei? pro quanto missa Dei sunt in unitate generis humani in uno semine Abraham: & lex non est ad unitatem, sed ad divisionem generis humani. Vbi videre potes quam ad propositum materiae de qua tractat Apostolus secundum hunc sensum dicta sint haec verba.

Sunt enim adeò ad propositum, ut fuerint valde etiam necessaria ad plenius commendandam missiōnem & fidem Abrahæ supra legem. Unitas namque vel divisionis generis humani maximam facit differentiam. Et ut plenius appareat veritas dicti sensus, trans eunda summarie est responsio Apostoli ad exortationem obiectiōnēm, prænotando duo. Alterum est, quod licet haec obiectio sit explicitè deducta ex ultima conditione legis, pro quanto quasi syllogizata est inde: insinuat̄ tamen in litera quod ex aliis, quoque legis conditionibus nascitur dicta obiectio, dum in numero plurali dicitur, lex ergo aduersus missa Dei. Ex hoc enim intelligimus concludi legem esse aduersus multa missa Dei, & non solum aduersus utilitatem missa. Et verè apparet hinc quod sit & aduersus iustitiam missam, pro quanto lex propter transgressionem posita est: & aduersus hereditatem semen missum, pro quanto durat donec veniat semen duratio siquidem legis quare diu est, tollit semini illius aduentum: & econtrario: lex ergo aduersus missa Dei apparet.

Alterum est, quod communis radix omnium in-

ferme

ata per  
oralita.  
omini.  
  
& hoc  
c est in  
t dimi-  
huma-  
nia fuit  
n vesti-  
t quod  
c sensui  
que ce-  
buit er-  
nia ge-  
en eius  
posto-  
s Chri-  
nes si-  
od ces-  
Vnde  
teriam  
vnius  
diator  
tur de  
ordan-  
vnius  
d scin-  
in sua  
ictio-  
Abra-  
on di-  
o: &  
nit-  
mun-  
dus

## Ientaculi secundi

firmitatum legis quibus differt ac deficit à fide Abrahæ, est penes viuiscare seu iustificare animā. Etenim si lex posset iustificare, non propter transgressionem posita esset, sed propter vitam iustitie: & similiter non duraret donec veniret semē, sed semper, utpote ipsam vitam semiñ promissam conferens, & similiter non dimidiaret genus humanum, sed vniuersitatem in vita spiritus. Et propterea Apostolus ad radicem securum ponit, soluendo obiectionem, dum communem omnium infirmitatum legis rationem reddit, postquam respondit absit, & dicit: Si enim data esset lex quæ posset viuiscare, verè ex lege esset iustitia: intellige Apostolum subtiliter impotentiam legis tanquam ex necessitate materiae se tenentem afferre. Ac si latius diceret: lex data est suapte natura impotens viuiscare: ita quòd non ex accidente infirmitate, aut ex aliquo defectu priuatiuo lex hanc infirmitatem & consequenter cæteras concomitantes habet, sed ex hoc ipso quòd est lex, sequitur quòd lex est diuersa res à fide & promissione Abrahæ. In cuius signum lex distinguitur contra gratiam. Ioan. i. Lex per Moysen data est, gratia per Iesum Christum facta est, fides siquidem pars est gratiae. Et quòd hoc sit verum, manifestatur: quia si data esset lex quæ posset viuiscare: ex lege verè esset iustitia: quod esset contra promissionem Dei: quia si ex lege: iam non per repromotionem: ut superius dictum est. Igitur quòd lex sit habens tot conditiones, ex naturali eius impotencia seu infirmitate est. Deinde si: biungit quòd non aduersus promissa Dei has conditiones haber lex, sed pro promissis Dei: pro quanto ex eis conditionibus transmittit subditos ad promissionem factam Abrahæ, dicens: sed conclusit scriptura omnia sub peccato, ut promissio ex fide Iesu Christi daretur credētibus. Ideo, inquit, lex scripta clausit omnia præcepta tam

45

## Quæstio quarta.

de malis vitandis quam de bonis prosequendis sub peccato cognoscendo, concupiscono permanisuro ac puniendo: ut sic transmittatur ad desiderandum & quærendum medicum redemptorem ac salvatorem. Nulla enim ex parte infirmi via quod velit & quærat medicum, melior est, quam morbi proprium augeri, & dura cognoscere, ac puniri, sine liberatione tamen.

Sic lex transmisit ad Christum, nam lex cognitio- nem peccati dabat (ad Rom. vii. Peccatum non co- gnoui nisi per legem.) & puniebat, vt patet: vt con- cupiscentiam augebat occasione accepta: vt patet ibi- dem: & durationem peccati operabatur: pro quanto non poterat interius sanare aut adiuuare. In hoc autem quod scriptura conclusit omnia sub peccato, co-intelliguntur omnes antedictæ legis infirmitates: quia omnes sunt in via colligatae communis ratione, scilicet quod lex non potest iustificare, sed sub pecca- to ponere ut facile est discurrendo deducere.

Soluta autem obiectione ex hoc quod infirmita- tes quidem has necessario habent: sed habet eas, & vi- tur eis transmittendo ad hoc ut promissio ex fide Ie- su Christi daretur credentibus. ex tribus similiudini- bus iuxta antedictas tres infirmitates seu conditiones legis, manifestat Apostolus ministerium legis quo seruiebat promissio semini custodiendo, ducendo, fouendo.

Prima similitudo est ad custodem expectantium in tenebris claritatem: ibi, priusquam veniret fides. Et hæc responderet infirmitati legis quæ posita est propter transgressionem, qua conclusit omnia sub pec- cato. Secunda est paedagogorum, ibi, itaque lex peda- gogus. Et hæc respicit istam infirmitatem in manu mediatoris: datus siquidem paedagogus est populo Israël tanquam puero electo præ aliis, segregan- do ipsum ab aliis, iuxta illud Deuteronom. xxxii.

## Tentaculum tertium

Pars autem Domini populus eius, Jacob filius  
haereditatis eius. Vnde huic similitudini annexit A-  
postolus unitatem omnium hominum in Christo.  
Tertia similitudo est ad actores & tutores parvuli  
haeredis, ibi, Quanto tempore haeres parvulus est. Et  
haec respicit illam infinitatem, donec veniret semen.  
Et est in his tribus similitudinibus perspicere statum  
eorum qui sub lege erant, differentem à statu rege-  
neratorum in Christo penes tria. In tertia quidem  
penes seruitutem & libertatem: in secunda vero pen-  
tes imperfectionem & perfectionem: in prima autem  
penes iniustitiam & iustitiam: ut facilè patet inspi-  
cienti textum Apostoli & applicanti. Et haec de quar-  
ta quæstione. In festo circuncisionis Domini, Anno  
M. D. XXIIII. Posonii.

## TERTIVM IENTACU- lum, in quo tres quæstiones tractantur.



CCVRVNT tertio circa  
diuersa in nouo testamento di-  
cta de sacerdotio, quæstiones  
tres: Prima de verbis Apocaly-  
cap. v. Fecisti nos Deo nostro  
regnum & sacerdotes. Et cap. i.  
Fecit nos regnum & sacerdotes  
Deo & patri suis. Secunda, de  
verbis Petri Apostoli in cap. ii. primæ sue epistolæ.  
Vos autem genus electum, regale sacerdotum, gens  
sancta, &c.

Tertia de verbis eisdem Petri Apostoli in eod.  
cap. Ad quem accederet, & ipsi tanquam lapides viui-